

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 81

In nomine sancte et individue Trinitatis, Otto divina favente clementia imperator augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum tam presentium quam futurorum industria, qualiter nos, interventu dilecte conjugis nostre Adalehidis fidelisque nostri archiepiscopi Willehelmi, ob spem divine remunerationis, pro statu vel incolomitate regni vel imperii nostri, pro sanitate quoque nostra filiique nostri carissimi regis scilicet Ottonis et pro remedio anime domni genitoris nostri Heinrici, ecclesias cum decimationibus et mansis vel mancipiis omnibusque appenditiis earum Stabulensibus vel Malmundariensibus pertinentes monachis Deo sanctoque Petro apostorum principi almoque confessori Christi Remaglo sub regula sancti Benedicti deservientibus, quibus venerabilis abbas Wererifridus preesse videtur, munifica largitate reddidimus et usibus vel stipendiis eorum perpetualiter servituras decrevimus, et ut nulli umquam in benefitium dentur volumus et firmiter jubemus. Ipsa vero cenobia Stabulense vel Malmundariense cum omnibus ad victualia vel stipendia monachorum deputatis sub perpetua nostre regie vel imperatorie dignitatis defensione vel emunitate esse decrevimus; et ut nullis umquam temporibus alicui in benefitium cedant, sed sub nostra nostrorumque successorum tuitione perpetualiter consistant, monachi vero in prescriptis cenobiis Deo sanctoque Petro apostolo almoque confessori Christi Remaglo famulantes elegendi inter se abbatem liberam habeant potestatem. Et ut hoc auctoritatis nostre preceptum firmum et stabile permaneat, hanc cartam [conscribi] et anuli nostri impressione signari jussimus, quam et manu propria subter firmavimus.

Signum domni Ottonis magni et invictissimi imperatoris augusti.

Data VIII kal. febr. anno Dominice incarnationis DCCCCLXVI, indictione VIII, anno regni domni Ottonis XXXI. Actum Trajectum, in Dei nomine feliciter. Amen.